Kadłubowski Brevis allocutio (1773?)

XVIII.2.1307

http://rcin.org.pl

http://rcin.org.pl

Brevis allocutio Perilluſtris ac Reverendiſſmi Domini Michaëlis Kadłubowſki Scholaſtici Prælati Livon: Officialis per Podlachiam & Adminiſtratoris Collegij ac Scholarum Grodnen: facta circa publicationem Bullæ ſupprimentis Inſtitutum Soc: JESU.

NOn diffitemur, Viri præſtantiſſimi, Societatem non minùs dolore perſtringi, quod amittit, quàm Clerum ſolatiô perfrui; quod acquirit. Una utiq; eademq; Mater Eccleſia, quæ Vos genuit, fovit, enutrivit, ac meritis conſpicuos univerſo exhibuit, pari teneritudine proſecuta & tanquam Fratres Noſtros uterinos, favoribûs ac Beneficiîs æquè cumulandos, amplexa eſt. Hæc enim poſtquam Socios inſtituerit probos, Curatores animarum videbatur effeciſſe probatos, nullavè intermiſit Studia, quin Collegiorum ſimul ac Eccleſiarum Rectores laudatiſſimos prænuntiaret; plurimùm quoq; laboris in id impendit, ut indefeſſos operarios, quibus in Domo Patris Noſtri Manſiones multas patefactas ex æquo indulget, dignos mercede commendaret.

Miramur equidem (æmulantes Vos DEI æmulatione) ad excollendam Vineam Domini præter modum conductos, & uberioribûs Eccleſiæ gratiîs donatos eſſe; facta nempè conventione ex denario diurno; licet noviſſimi unâ horâ feceritis, Nobis nihilominùs, qui portavimus pondus diei & æſtûs, nihil impares eſtis, nec minùs ſerò, quàm qui manè vocati erant, recepturi:

Cum igitur Sæculis compertum ſit, Vos effatis & oraculis Sedis Apoſtolicæ, cujus imperium ſtrenuè olim propugnaſtis, debitè obtemperaſſe; tum facere & fieri Eidem obſequentes, præcipuam Vobis Religionem fuiſſe; hinc non immeritò arbitramur, nunquam cariorem filialis obedientiæ victimam, Vobis obventuram, niſi vocem Paſtoris, quam auribus veſtris inſonare ſentitis, eâ, quâ par eſt, reverentiâ, audiatis (*hic legitur Bulla.*)

Dolendi forent caſus mortalibus, ni Dominus ſupponeret manum, illam Paternam dextram, quâ ſuus in Terris Vicarius proſtratos, aſt minime colliſos, in ſpem erigeret, ſeu ijs, quòs tantæ viciſſitudini deſtinatos voluit, DEUM totius conſolationis polliceretur. Denique non eſt, quod dubitemus, Eccleſiam, Societate extincta, Socijs illâ egreſſis præſto adeſſe, eoſq; precationibûs, quibûs Paulus dolenti populo, quod faciem ejus ampliùs non eſſent viſuri, valedixerat, in hæc verba concomitari: *Et nunc commendo Vos DEO & Verbo gratiæ Ipſius, qui potens eſt ædificare & dare hæreditatem in Sanctificatis omnibus.* Act: 20.

http://rcin.org.pl

Ze zbiorów FUNDACJI IM. I J. MICHALSKICH
XVIII.2.1307
http://rcin.org.pl
2728

http://rcin.org.pl

XVIII.2-1307

http://rcin.org.pl